



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd Abraham primus sit appellatus presbyter, & quare presbyteri  
nominentur. v.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Quæ presbyteri necessario discere, & scire  
debeant. Cap. II.*

*Ex dictis  
August.*

**Q**UAE ipsis sacerdotibus necessariae sunt ad discendum, id est, liber sacramentorum, lectionarius, antiphonarius, baptisterium, computus, Canon penitentialis, Psalterium, Homeliarum per circulum anni dominicis diebus, & singulis festiuitatibus aptarum. Ex quibus omnibus, si vnum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit, quia valde periculosa sunt euangelicae minae quibus dicitur, Si caecus caeco ducatum praestet, ambo in foueam cadunt.

*De eadem re.*

*Cap. III.*

*Ex epist.  
Zepheri-  
ni papae,  
per Aegyptum  
missa, ca.  
10.*

**O**rdinationes vero presbyterorum & leuitarum tempore congruo, & multis coram astantibus solenniter agite, & probabiles ac doctos viros ad hoc opus constituite, ut illorum societate, & adiumento plurimum gaudeatis.

*Quod ordinationes fieri non debeant, nisi in loco certo & religioso. Cap. IIII.*

*Ex concil.  
Meldesi,  
cap. 6.*

**H**I qui ordinari petunt, nullatenus ordinentur, nisi in loco certo & religioso, vel etiam in ciuitate saltem vno anno immorentur, ut de vita & conuersatione, atque de doctrina illorum certitudo possit agnosci.

*Quod Abraham primus sit appellatus presbyter, & quare presbyteri nominentur. Cap. V.*

*Ex epist.  
Anacleti  
papae omnibus  
episcopis per  
Italiae consi-  
tutis missa,  
ca. 22.*

**P**ORRO & Mosi praecipitur, ut eligat presbyteros id est, seniores. Vnde & in Prouerbiis dicitur: Gloria senum, canities. Haec vero canities, sapientiam designat, de qua scriptum est: Canities hominum, prudentia est. Quumque nongentos & amplius annos ab Adam usque ad Abrahamam vixisse homines legimus, nullus alius primus appellatus est presbyter, id est, senior, nisi Abraham, qui multo paucioribus vixisse annis conuincitur. Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur. Initium enim sacerdotii Aaron fuit: licet Melchisedech prior obtulerit sacrificium Deo, & post hunc Abraham, Isaac, & Iacob. Sed hi spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate ista fecerunt.